

instrumentalis miraculi propriè dicti in confirmationem erroris ; ergo procul removenda est hujusmodi opinio.

Notandum tamen fieri posse , ut qui miraculi causa instrumentalis fuit , eo postea abutatur ad alios in errorem pertrahendos. Hoc unum igitur asserimus , nimirum permittere non posse Deum , ut Thaumaturgus miraculum et falsæ doctrinæ prædicationem simul jungat. Tunc enim Deus , utpotè miraculi causa efficiens et primaria , in erroris confirmationem influeret , suumque mendacio quasi sigillum ipse apponeret ; quod supremo Numine planè indignum est.

Obj. 1<sup>o</sup>. Ideò vel homo , vel Angelus malus non potest esse causa instrumentalis miraculi propriè dicti in falsæ doctrinæ confirmationem , quia Deus in errorem ineluctabilem nos conjiceret ; jam verò non repugnat Deum in hujusmodi errorem nostrudere , in alicujus peccati pœnam ; ergo , etc.

Resp. 1<sup>o</sup>. Retorqueo argumentum. Ille error non repugnat ex parte Dei , qui potest esse alicujus peccati pœna : atqui talis esse potest error quo ineluctabiliter impellimur ad judicandum existere corpora ; ergo , etc.

R. 2<sup>o</sup>. Neg. min. Si valeat enim objectio proposita. 1<sup>o</sup>. Nulla Deo suppetit via , quâ possit hominibus voluntatem suam certam facere ; nam quibuscumque utatur signis , quocumque adhibeat testimonium , semper hominibus metuendum erit , ne ob præviam aliquam culpam , in errorem necessarium inducantur. 2<sup>o</sup>. Omnes , vel pietate maximè insignes , illam experiuntur propensionem , quâ impellimur ad credendum miraculis ; absurdum est igitur dicere eam à Deo nobis immitti in scelерum pœnam. 3<sup>o</sup>. Deus ad puniendum peccatum non potest ipse peccare : atqui tamen peccaret , si in criminum vindictam per miracula nos deciperet , nobisque insuperabilem instillaret propensionem ad judicandum eum per miracula loqui , licèt reverà  
non

non loqueretur : ille enim peccat qui falsum profert testimonium : atqui Deus inclinando homines ad judicandum , ipsum per miracula loqui , falsi testimonii reus esset , si per ea verè non loqueretur ; ergo , etc.

Objic. 2<sup>o</sup>. Christus suos ita præmonet : *Surgens Pseudochristi , et Pseudopropheta , et dabunt signa magna et prodigia , ita ut in errorem inducantur , si fieri potest , etiam electi. ( Matth. cap. 24. v. 24. )* Unde sic ; magna prodigia de quibus hic agitur , vera sunt miracula : atqui tamen fient in confirmationem erroris ad hominesque seducendos ; ergo , etc.

Resp. Nego maj. Hoc enim in loco verba facit Christus de excidio Hierosolymitano , et de omnibus circumstantiis quæ terribilem hunc eventum præcedere , comitari , et subsequi visæ sunt. Prænuntiat ante horribilem hanc ruinam spurios fore Prophetas qui plebem deluderent , et Christos se dicèrent : *multi , inquit , venient in nomine meo , dicentes : ego sum Christus , et seducent multos. ( ibid. v. 5. )* Rem ita contigisse narrat Josephus : *( Lib. 2. de bello Judaico , capit. 13. n. 4. pag. 177. tom. 2. edit. Havercampi )* refert enim sub ea tempora plurimos extitisse impostores , qui se prodigia edituros jactitantes , populum seducebant : inter eos primus fuit et princeps Simon Magus , qui suis signis tantam sibi peperit famam , ut statua ei fuerit publicè collocata ; sed ipse tandem , dum per aëra sublimis sese efferebat , precibus sancti Petri in terram præcipitatus , genua ad saxum collidens confregit.

Sub eadem tempora alii fuerunt seductores ; sed eos vera miracula patrasse nec Josephus , nec alius quilibet historicus refert. Nec dixeris Josephum illorum impostorum miracula consultè siluisse : cum enim esset Christianæ Religionis hostis infensissimus , si quid miraculi fecissent , id summâ cum voluptate commemorasset , ad revin-

nimirum Christianos, qui maximam Religionis suae vim in miraculis constituebant.

Si quis verò hanc Christi prædictionem velit ad novissima mundi tempora spectare, dico 1<sup>o</sup>. nihil esse in textu laudato, quod miracula propriè dicta clarè exhibeat: voces enim illæ signa, prodigia, non semper in Scripturis verum significant miraculum, sive opus totius naturæ creatæ vires superans; sed multis in locis usurpantur ad exprimenda quædam mirabilia, quæ attonitos faciunt spectatorum animos, licet naturæ vires non excedant. 2<sup>o</sup>. Christus quidem fideles contra illa prodigia præmunit, imo asserit talia fore, ut in errorem inducerentur electi, si fieri posset; quia scilicet signa illa, quamvis ementita et spuria miracula tantam tamen verisimilitudinem induent, ut à veris miraculis vix ac ne vix quidem secerni possent, nisi Deus ab iis cavendum esse præmonuisset. Hæc prodigia non fore veri nominis miracula, patet ex Apostolo, qui de Antichristo sic habet: *Cujus est adventus secundum operationem Satanae, in... Signis et prodigiis mendacibus.* (2. *Thessal.* 2. 9.)

#### PARAGRAPHUS IV.

##### De vi et efficaciâ Miraculi in genere probationis.

Ex his quæ hactenus dicta sunt satis liquet miraculis propriè sumptis maximam inesse probationi vim; ut autem tanti momenti veritas magis eluceat, sit

#### PROPOSITIO.

*Miraculum propriè dictum eam veram esse doctrinam probat, in cuius gratiam editum est.*

Probatur 1<sup>o</sup>. Illud vim habet probationi incon-

eusam, quod à solo Deo, tanquam causâ efficiente, proficiscitur, et quod in confirmationem erroris fieri non potest, quin omninò pereant, tum *veracitas*, tum bonitas divina; atqui ex superioribus propositionibus, miraculum propriè dictum à solo Deo, etc. ergo, etc.

Prob. 2<sup>o</sup>. Ex omnium populorum consensu, qui in eo sunt semperque fuerunt unanimes, quod miraculum sit divini testimonii signum certissimum. Ubique gentium in confesso est, Religionis causam ex miraculis certò dirimi. Ita sentiunt Pagani, Mahumetani, Judæi, Christiani. Hinc cæcuslibet Religionis sectatores, in ipsius confirmationem miracula proferunt quæ, aut vera sunt, aut hujusmodi esse putant: atqui unanimis ille populorum consensus, qui miraculis vim probandi ineluctabilem attribuit, naturæ vox et veritatis indicium est certissimum.

Prob. 3<sup>o</sup>. Illud ineluctabilem habet vim probationi, cui cessit Pharaonis et ipsius Magorum pernicax obstinatio; cui cessit multorum Judæorum contumax incredulitas; cui cessit Gentilium tot seculis confirmata superstitio; cui denique cessit orbis universus fidem Christianam amplectendo: atqui miraculis, etc. Adeò ipsis certum erat et persuasum non magis factis, quam verbis Deum posse decipere, eamque veram esse doctrinam quæ miraculis nitebatur, ergo, etc.

Prob. 4<sup>o</sup>. quibusdam exemplis è Scriptura depromptis: Deus super montem Horeb Moysi apparet, ipsumque jubet ad populum suum proficisci, ut eum ab ægyptiaca servitute liberet; modestè sese excusat: *non credent mihi, inquit, sed dicent: non apparuit tibi Dominus.* (Exod. 4. 1.) Tum Deus, ut suam Moysi certam faciat voluntatem, diversa sub ipsius oculis operatur miracula. Obtemperat Moyses, statim proficiscitur, populum Deo congregat, divina jussa manifestat, miracula facit et continuò credit populus: atqui si miracula

invictam probandi vim non habeant, temeritatis accusandus est tùm Moyses, quòd miraculorum autoritate præsertim victus, missionem suam firmâ fide divinam putaverit; tùm populus Israël qui, visis miraculis à Moyse editis, digitum Dei hic esse agnoscit; quis autem vel Moysen, vel Israelitas ea de re ausit culpâ et reprehendere?

Præterea Joannes Baptista duos è suis discipulis ad Christum mittit, ut ab eo quærant: *tu es qui venturus es, an alium expectamus?* respondet Christus: *euntes renuntiate Joanni quæ audistis et vidistis, cæci vident, etc.* ( *Matth. II. 4.* ) valet profectò argumentum Christi suis è miraculis petitum, quo verum se Messiam esse demonstrat: atqui, nisi miraculis inesset vis probandi maxima, caduca penitus erit probatio quam affert Christus; neque debuerunt discipuli Joannis in Christo Messiam agnoscere.

*Solvuntur objecta.*

Objic. 1°. Suam quisque populus Religionem miraculis fundari gloriatur; ergo miracula nihil probant.

Resp. Neg. conseq. Hæc difficultas nostram thesim confirmat, nedum labefactet; idè enim suam quisque populus Religionem miraculis munitam gloriatur, quia omnium populorum animos hæc imbuit opinio et persuasio, miraculum invictum esse veritatis argumentum; sicut ex eo quòd varii discordesque Philosophi evidentiam sibi vindicent, meritò concluditur eam omnes habere ut tutissimam veritatis regulam: sed quia diversarum Religionum cultores miraculis gloriantur, inde non sequitur veris eos instructos esse miraculis, quemadmodum, licèt singuli Philosophi evidentiam sibi arrogant, non eam tamen semper tenent, sed fallacem ejus umbram non raro amplectuntur.

Inst. Miracula in gratiam Religionis Ethnicæ facta legimus. Sic Vespasianus Imperator, cùm Alexandriæ esset, visum cæco restituit, illius oculos salivâ leniendo, et ægrum manu admota sanavit. Ita referunt Tacitus et Suetonius. Sic etiam Appollonius Thyaneus in oratione Ephesi habitâ, Mortem Domitiani, eâ quâ contigit horâ, nuntiavit; Romæ puellam è mortuis suscitavit; in aëra sese efferebat, ægros sanabat, avium loquelam intelligebat; tot demùm tantaque edidit miracula, ut ipsi post mortem erectæ sint aræ, templa consecrata, exhibitique honores divini. Ita refert Philostratus ipsius vitæ scriptor; ergo miracula veram et divinam esse non probant eam Religionem, in cujus gratiam facta sunt.

Resp. 1°. Inde patet quàm turpiter secum pugnent Deistæ. Modò enim miracula, tanquam rem impossibilem, rejiciunt; modò in iis multiplicandis ita sunt effusi, ut velint plurima pro idolorum cultu fuisse peracta.

Resp. 2°. Commentitia esse hæc miracula, quæ procul dubio tacitè irrident et aspernantur, quæ nobis objiciunt Deistæ. Quæ Vespasiano tribuuntur, nihil aliud sunt, quàm fallacia ab aulicis concinnata, ut à cælo confirmari videretur principis electio, quæ nondum ab omnibus fuerat approbata. Quidam inter quos Josephus ipse, eò devenerunt adulationis, ut Scripturæ oracula quæ Messiam designabant, huic Imperatori accommodarent. Quod ut persuaderent, miracula ipsi affingere tentarunt. Idcirco fictos ægros ei obtulère. Fraudem suspicans Vespasianus, irridere cepit; sed adulantium sermonibus in spem inductus, rei que utilitatem prævidens, falsis morbis falsam medicinam adhibuit. Eò facilior erat dolus ille, quòd soli tunc adstant aulici, quorum intererat populum decipere. Qui fictitia hæc miracula referunt Tacitus et Suetonius, testes oculati non fuerunt. Quinimò confitetur Tacitus medicos eâ

de re consultos respondisse, morbos illos remediis sanari posse.

Pariter in Apollonii prodigiis, quæ tantoperè venditant Deistæ, undiquesese prodit falsitas.

1°. Philostratus qui solus hæc prodigia narrat suam historiam nonnisi centum supra viginti et amplius, post eventum, annis scripsit. Hanc videtur confinxisse, ut suam Religionis Christianæ miraculis, cujus erat hostis infensissimus, auctoritatem detraheret. Quis autem sapiens fidem adhibeat scriptori unico, maximè suspecto, ut potè qui in sua causa loquitur? Citat quidem Philostratus memoriales libros, de Apollonii vitâ à Damasio fido illius comite scriptos, et deinde ad se transmissos. Cur autem acta illa tamdiu latuerunt? Cur nonnisi post centum et amplius annos, et tenebris in lucem prodierunt, si vera continerent? Id sanè maximum est falsitatis argumentum.

2°. Splendidiori Apollonii miraculo fidem detrahit ipse Philostratus: dubitat enim an puella è mortuis suscitata verè obiisset. Innuit hanc fortè gravi lethargo fuisse oppressam, et tenuem pluviam in illius corpus delapsam, ipsi motum restituisset. Si verum fuisset istud prodigium, nonne hujus rumore tota urbs Roma personuisset? nonne illud retulissent alii historici? attamen hoc solum memorat Philostratus. Deistas pudeat aniles hujusmodi fabulas, Judæorum et Christianorum miraculis opponere, quæ tam invictis munita sunt testimoniis, et quæ non minorem sibi fidem vindicant, quàm facta historica de quibus nemo dubitat, qualia sunt gesta Cæsaris, ut postea sumus demonstraturi.

Objic. 2°. cum recentiore Deistâ: miraculum voluntatem Dei illud operantis non declarat; ergo nihil probat.

Resp. Dist. ant. miraculum voluntatem Dei non declarat seorsim à quibusdam circumstantiis,

vel sine interpretatione, et testimonio illius, quo, tanquam ministro, utitur Deus ad miraculum efficiendum, conc. ant. voluntatem Dei non declarat cum alterutrâ hac conditione, neg. ant.

Porro miraculis quædam accedat conditio necesse est, Dei consilium declarans: eâ verò positâ, totam quâ pollet probandi vim exerit; demonstrando scilicet eam veram ac divinam esse doctrinam, sive Religionem cui applicatur, 1°. per circumstantias in quibus fit: solis, v. g. defectio- nem, terræ motum, et alia prodigia quæ, moriente Christo, contigerunt, in gratiam ipsius Christi fieri, ex circumstantiis compertum erat; 1°. per testimonium hominis miraculum Dei nomine et virtute operantis. *Qu'un homme, inquit Rousseau, vienne nous tenir ce langage: Mortels, je vous annonce la volonté du Très-Haut, reconnoissez à ma voix celui qui m'envoie. J'ordonne au soleil de changer sa course, aux étoiles de former un autre arrangement, aux montagnes de s'applanir, aux flots de s'élever, à la terre de prendre un autre aspect; à ces merveilles, qui ne reconnoitrois pas à l'instant le Maître de la nature.*

Exemplo magis elucescet nostra responsio: Sigillum Regis sejunctum à litteris quibus apponitur, Principis voluntatem non declarat. Cum litteris verò conjunctum, mentem Principis manifestabit: ita miraculum seorsim à circumstantiis, vel hominis illud operantis testimonio, de voluntate Dei nos certiores non facit; sed accedente alteritro, eam apertè demonstrat.

Ins. Fieri potest ut minister finem à Deo intentum pervertat, et alium longè diversum malâ fide ceteris hominibus declaret; ergo miraculum vim probandi non habet, etiam quando conjunctum est testimonio ministrî, quo Deus ad illud patrandum utitur.

Resp. Neg. ant. Repugnat enim permittere Deum, ut contra finem sibi propositum, error

cum miraculo societur per testimonium hominis, cujus operam adhibet ad illud efficiendum. Miraculum quippè Deus instituit, tanquam veritatis suæque voluntatis sigillum: atqui non potest hoc sigillum homini committere, qui eo in confirmationem erroris abutatur: alioqui subverteretur summa illius bonitas et *veracitas*, ut suprâ demonstravimus.

Inst. Aliquandò permittit Deus ut Sacramentorum minister facultate sibi divinitus concessâ malè utatur; ergo pariter sinere potest ut homo, cujus ministerium in patrandis miraculis adhibet, ea in confirmationem erroris detorqueat.

Resp. Neg. conseq. et paritatem. Duplex affertur discriminis ratio. 1<sup>a</sup>. est quòd Sacramentorum Minister potestate sibi divinitus concessâ malè utens sibi tantùm, non aliis noceat: Sacramentorum enim virtus à ministri sanctitate non pendet. Contrà verò, si quis miraculorum dono præditus, iis abuteretur ad ceteros homines in errorem pertrahendos, non sibi tantùm, sed aliis etiam damnum inferret gravissimum.

2<sup>a</sup>. disparitatis ratio inde petitur, quòd homines ex quodam naturalis propensionis impetu judicent, Deum per miracula voluntatem suam denunciare, ac proinde in ipsum error meritò referenderetur: id verò incommodi locum non habet, quando Sacramenti conficiendi potestatem Minister pravo animo exercet. Itaque vel Deus homini qui falsam doctrinam annuntiat, miracula patrandi facultatem subtrahet, vel non permittet ut errorem doceat, quo tempore miraculum operatur. Cujus rei illustre exemplum videre est in Balaam Propheta, qui vocatus à Rege Balac, ut populo Israël malediceret, illi contrà quasi invitus benedixit. *Num aliud, inquit, possum loqui, nisi quod jusserit Deus!* ( Num. 33. 12. )

Objic. 3<sup>o</sup>. Illud Deistæ Genevensis colloquium: Veritatis Apostole, quid ergo mihi dicendum ha-

bes, cujus judicium non penes me mihi? locutus est ipse Deus. Rem sanè gravem mihi narras. Cuinam autem verba fecit? hominibus; cur igitur ab eo ne verbum quidem audivi? ut illius verba tibi denuntiarent, aliis hominibus mandavit. Audio: homines scilicet mihi dicturi sunt quod Deus; malim ipsum audiisse. Id Deo non fuisset operosius, meque ab omni fraudis periculo liberasset. Ab eo te satisfutum præstat, suorum præconum missionem certam faciendo. Quo pacto? per miracula. At ubinam sunt ista miracula? in libris: verùm quis libros illos composuit? homines. Quis vidit hæc prodigia? ipsi homines qui ea testantur. Quid? semper allegantur humana testimonia, semper homines qui ea mihi referunt, quæ alii homines narrarunt? quot inter me et Deum homines!

Eò spectat illud Sophistæ Genevensis colloquium, ut persuadeat nullam miraculis deberi fidem, quia humanis nituntur testimoniis.

Resp. 1<sup>o</sup>. In isto colloquio undique sese prodit superbia et insulsitas. Negat argutiolus Deo se fidem adhibiturum, nisi ipsum loquentem audiat. Quâ in re plurimum est arrogantia. Fingamus ad eum à Rege mitti legatum, qui ipsum roget ut in aulam Principis veniat. Numquid recusaret, quia Princeps ipse ad eum invitandum non venisset? si Regis legatus certissima suæ missionis argumenta exhiberet, numquid ea respueret? an expostularet, quòd inter ipsum et Principem alius interponeretur? nequaquam sanè. Cur ergo eum non pudet à supremo Numine exigere, quod ab hominibus postulare non auderet? præterea si teneatur Deus Philosopho Genevensi, sine ullo intermedio, verba facere, idem pariter ceteris debet hominibus. Necesse igitur erit, ut Deus unicuique speciatim homini sese apertè revelet, et singulis diebus iterandæ erunt hujusmodi revelationes. Ubinam ergo erit fides?

Resp. 2°. Deus, ut supra demonstravimus, per miraculum loqui censendus est. Qui enim illud sub oculis meis Dei nomine operatur, supremi numinis personam gerit et mihi exhibet. Namque solus Deus miracula potest efficere; ergo si hominem videam prodigia edentem, quæ divinæ potentiæ quasi impressum habeant sigillum, tunc eum, tanquam Dei nuntium et interpretem, confidenter revereor; ipsius verba, velut Dei oracula, securus excipio.

Resp. 3°. A se ipso discordare Philosophum Genevensē. Sic enim de factis, sive miraculis Evangelicis, loquitur: *Durons-nous que l'histoire de l'Évangile est inventée, à plaisir; mon ami, ce n'est pas ainsi qu'on invente, et les faits de Socrate, dont personne ne doute, sont moins attestés que ceux de J. C.* De factis igitur Socratis nullo modo se dubitare profitetur: quot tamen inter Socratem et nostrum cavillatorem interjecti sunt homines! ut ergo sibi constet, fateatur necesse est certissima esse Christi miracula, quamvis inter Christum et ipsum interposita sit lingua hominum series.

Objic. 4°. Cum Autore libri cui titulus, *Pensées Philosophiques; Veux-tu que je devienne ton prosélyte, laisse tous ces prodiges, et raisonnons. Je suis plus sûr de mes raisonnemens que de mes yeux. Si la Religion que tu m'annonces est vraie, sa vérité peut se mettre en évidence, et se démontrer par des raisons invincibles. Trouve-les ces raisons: pourquoi me harceler par des prodiges, quand tu n'as besoin pour me terrasser que d'un syllogisme?*

Resp. In vana illa cavillatione nihil esse nisi falsum. Duo quippè involvit; 1. miracula nullius esse ad probandum momenti, quia iudicio, potius quam oculis, standum est; 2. etiamsi probandi vim haberent, nullius tamen esse utilitatis, quia vera Religio solâ ratione et evidentiâ demonstrari potest et debet: atqui utrumque illud falsum est.

Et primum quidem: quantum enim in genere probationis valeant miracula, ex dictis abundè compertum est. At, inquit adversarius, iudicio, potius quam oculis, fidendum est. Optimè quidem, si iudicium et oculi secum invicem pugnant: sed nulla est inter utrumque pugna, nulla dissensio. Oculi miracula nobis exhibent et referunt. Huic autem testimonio non opponitur iudicium, sive ratio: possibile enim esse miracula, certis ostendimus argumentis.

Secundum cavillationis caput non minus habet inanitatis. Miraculorum enim utilitas cuilibet vel leviter attendenti, aperta est; tum quia Doctrinæ in cuius gratiam fiunt, ipsam Dei autoritatem conciliant; tum quia rudibus et imperitis via sunt maximè accommodata, quâ veritatem tuto assedantur dogmatum scilicet discussionem amovendo. Sic igitur adversarium refellimus, qui Religionem apparatus geometrico demonstratam vellet; Religio cuius argumenta non sunt omnium ingenio et intelligentiæ attemperata, ea esse non potest, quam pro rudibus et imperitis Deus constituit: atqui Religio more Geometrarum demonstranda, certè non est omnium ingenio, etc. ergo, etc.

#### PARAGRAPHUS V.

##### De veri Miraculi characteribus.

Hic quædam sunt prænotanda 1°. Duplex effugiendum est vitium extremum, incredulitas scilicet quæ Atheis et Deistis propria est, et quæ ex impietate proficiscitur; et nimia credulitas, quæ nascitur ex superstitione, ad quam maximè proni sunt rudes et imperiti. 2°. Quæstio moveri potest, vel de discernendo miraculo propriè strictèque sumpto, à latè sumpto, vel de discernendo miraculo latè spectato, sed divino, à miraculo latè accepto et diabolico. 3°. In miraculo distinguitur operis substantia et modus; per operis substan-

tiam intelligitur opus in se spectatum; talis est morbi sanatio; per modum operis designatur ratio quâ productus fuit effectus qui miraculi nomine decoratur, ut subita morbi sanatio per solum alicujus imperium facta. His præmissis, sit

PROPOSITIO I.

*Ad discernenda Miracula propriè strictèque sumpta à Miraculis latè sumptis duo sufficiunt caractères, scilicet operis substantia et modus.*

Probatur. Ex dictis, miraculum propriè strictèque sumptum est opus potentie infinitæ; qui igitur caractères sufficiunt ad discernendum utrum opus aliquod sit effectus potentie infinitæ, an verò finitæ tantum, iidem satis erunt ad discernendum miraculum propriè strictèque dictum, à miraculo latè et impropiè sumpto: atqui duo caractères assignati sufficiunt ad dignoscendum, utrum opus aliquod sit effectus potentie infinitæ, an finitæ duntaxat; vel enim opus de quo quæritur an sit miraculum propriè dictum, evidenter tale est, ut ratione aut substantie, aut modi superet totius nature vires, vel non tale est. Si primum, tunc patet opus illud vel in se et quoad substantiam, vel quoad modum quo factum est, non potuisse à causis secundis prodire sed non nisi à supremâ potentia; ac proinde miraculum esse propriè dictum. Si secundum, id est si opus, nec ratione sui, nec ratione modi quo productum fuit, totius nature vires superet, tunc censendum est à causis naturalibus proficisci, ideòque à causâ finitâ; ac proinde non esse miraculum propriè dictum; operis igitur substantia et modus sufficiunt ad discernendum miraculum propriè dictum, à miraculo impropiè latèque sumpto.

Tunc autem opus aliquod omnes nature vires superare cognoscitur, cum fieri non potuit, quin

constantissimis perpetuæque experientiâ notissimis nature legibus derogatum fuerit.

Ubi igitur incertum est, an opus aliquod in se aut ratione modi, totius nature vires et ordinem excedat; vel ubi constat illud nec in se, nec ratione modi, totius nature vires superare, tunc non habendum est ut miraculum propriè dictum; sed poterit esse miraculum latè et impropiè sumptum, id est, humanis quidem viribus superius, non angelicis; quòd si ambigitur utrum ab Angelis bonis, et proinde à Deo, prodierit, an verò à malis, tunc ad sequentem regulam confugiendum erit.

PROPOSITIO II.

*Ad discernenda Miracula impropiè dicta, divina à diabolicis, duo sufficiunt caractères, utilitas nempe et finis rectus.*

Probatur. Ad discernendum miraculum impropiè dictum et divinum à diabolico, satis est ut bonorum Angelorum opera discriminentur ab operibus diabolicis: atqui illis discernendis sufficiunt utilitas et finis; siquidem Dæmones in hominum perniciem intenti, nihil nisi noxia malumque finem sibi proponunt; contra verò sancti Angeli, bonatantum et utilia hominibus procurare student, ac non nisi ex recto fine agunt.

1<sup>o</sup>. Igitur expendendum est an opus utile sit, et in hominis bonum vergat: tunc autem præcipue emicat operis utilitas, cum in illis sit circumstantiis rerumque angustiis, quæ Dei omnipotentis manum auxiliatricem, insolitamque opem quasi exigebant; tunc enim meritò concluditur specialem adesse Dei voluntatem. Cave igitur ne miraculorum loco habeas opera, quibus aliquid vel turpe et obscœnum bonisque moribus inimicum admiscetur; Deus enim in omnibus suis ope-

ribus propter gloriam suam agit, nec proinde potest libidini cupiditæque patrocinari.

2<sup>o</sup>. Explorandus est finis operis, quo potissimum discernitur opus honorum Angelorum ab effectu diabolico. Si in fine nihil nisi rectum, laudabile, Religioni pietatque consentaneum deprehendatur, tunc opus merito censebitur miraculum impropriè dictum divinum; si vero prodigia adsint, quorum utilitas et finis non satis percipiuntur, tunc cohibendus est assensus. *Æis* omnibus miraculi characteribus, nominis Dei invocationem cum Augustino, adjungimus; sic veteres Prophetæ, sic Apostoli nulla fere miracula edidère, nisi prius invocato Dei nomine.

## ARTICULUS II.

### De Prophetiis.

Prophetiæ nomen à verbo græco derivatur, quod idem sonat ac *prævidere*, vel potius *prædicere*. Prophetiâ latè, vel strictè accipi potest. Prophetiâ latè sumpta est prædictio rerum futurarum quæ in causis naturalibus prævidentur, talis est prædictio eclipsis. Prophetiâ strictè sumpta est prædictio certa futuri alicujus eventus, qui in causis naturalibus non sit prævisus.

Dicitur, 1<sup>o</sup>. *Prædictio* id est, rei antequam fiat declaratio; 2<sup>o</sup>. *certa*, ut à conjecturis merè probabilibus distinguatur; 3<sup>o</sup>. *eventus alicujus futuri*: sic differt Prophetiâ à rerum vel præteritarum vel præsentium quæ absconditæ sunt, manifestatione; 4<sup>o</sup>. *eventus qui in causis naturalibus non sit prævisus*; sicque discrepat prophetiâ à rerum extiturarum notitiâ, quæ in perspectâ causarum secundarum connexionem nititur, quales sunt cognitiones, vel Physicorum de eclipsibus, vel Medicorum de ægrotantium proximâ morte aut

recreatione, vel politicorum de futuris quibusdam Imperiorum conversionibus.

De Prophetiis nunc stabiliendæ sunt quædam propositiones.

### PROPOSITIO I.

*Prophetiâ strictè sumpta est possibilis.*

Prob. Possibilis est Prophetiâ strictè sumpta, si Deus homini revelare possit res futuras, quæ in causis naturalibus prævideri nequeant: atqui id potest Deus, illud quippe non repugnat sive ex parte Dei, sive ex parte hominis. 1<sup>o</sup>. Quidem non ex parte Dei: cum enim res quaslibet extituras certè noverit, potest eas homini manifestare. Cur scilicet Deus res tum præsentem, tum præteritam homini revelare potest? Nonne quia eas compertas habet? atqui pariter res singulas, etiam liberè futuras, habet exploratas; ergo potest eas homini detegere; ac proinde non repugnat Deum nonnullis hominibus futurorum notitiam impertire.

2<sup>o</sup>. Illud non repugnat ex parte hominis, 1<sup>o</sup>. quia homo comparandæ futurorum notitiæ est idoneus; solo enim lumine naturali adjutus, plurimos eventus prævidet, ut constat de eclipsibus, aliisque phænomenis; 2<sup>o</sup>. quia Deus utpote mentibus humanis intime præsens, eas potest sua luce collustrare, et illius quam habet futurorum scientiæ facere participes: si enim homines suas possunt cognitiones sibi invicem aperire; quanto magis illud poterit Deus, qui supremum in mentes humanas supremum obtinet dominium?

Dices: Saltem futurorum quæ à liberâ hominum voluntate pendent Prophetiâ est impossibilis; hujusmodi enim eventus certo prævidere non potest Deus.

Resp. Deum futura, etiam libera, certo prævidere in efficacibus suis decretis, quibus hoc vel



illud exitum constituit. Ad certam quippe liberorum eventuum prænotationem, satis est ut Deus summam habeat exequendi potestatem, quidquid ab æterno decrevit, et voluntates humanas pro suo flectat arbitrio: atqui ita se habet Deus. *Sine dubio*, inquit Augustinus, *habens humanorum cordium, quo placeret, inclinandorum omnipotentissimam potestatem.* ( *Lib. de correptione et gratia. n. 45.* ) *De ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cum vult, facit.* ( *Ibid.* ) In eas majus imperium habet, quam ipsimet homines. *Magis habet in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas.* ( *Ibid.* ) Ipsum voluntatis motum in hominum cordibus operatur, ut per eos quidquid sibi libuerit, exequatur. *Agit omnipotens ( Deus ) in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat quod per eos agere ipse voluerit, qui omnino injuste aliquid velle non novit.* ( *Lib. de gratia et lib. arb. cap. 21. n. 42. Tom. 10. pag. 741.* )

Deus ergo voluntates humanas sic efficaciter movet, ut quidquid ab æterno decrevit, suo nunquam fraudetur effectu. In suis igitur decretis certo prævidet futuros eventus, etiam liberos.

### PROPOSITIO II.

*Solus Deus est causa efficiens Prophetiæ strictè sumptæ.*

Prob. 1°. Solus Deus esse potest illius cognitionis autor, quæ creatam quamlibet intelligentiam superat: atqui ita se habet Prophetia strictè sumpta; eam quippe diximus certam esse futurorum et latentium eventuum prædictionem, qui in causis naturalibus prænosci nequeunt: atqui hujusmodi prædictio creatæ cujuslibet intelligentiæ vim superat, solique Deo competit, cui patet quidquid per temporum seriem futurum est; ergo, etc.

Prob. 2°. Ex communi populorum consensu: omnes enim sua jactarunt oracula, vera vel mendacia, suos vates qui sese à Diis afflatos gloriabantur: ut quid autem vates illi populis persuadere studuerunt, à Diis futura sibi revelari? Ut quid populi futuros eventus suis vatibus divinitus manifestari existimarent, nisi quia futurorum prænotationem Deo propriam esse, eaque prædicendi facultatem divinum esse munus crediderunt?

Prob. 3°. Ex Scripturis: apud Isaiam sic legitur: *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, et sciemus quia Dii estis vos.* ( *Cap. 41. v. 23.* ) *Recordamini quoniam ego sum Deus, et non est ultra Deus, nec est similis mei, annuntians ab exordio novissimum, et ab initio quæ necdum facta sunt.* ( *Ibid. cap. 46. v. 9. et 10.* ) Undè sponte fluit istud argumentum: quod à falsis numinibus à dæmonibusque verum Deum secernit; quod divinitatis est signum proprium et singulare, illud profectò soli Deo competit: atqui talis est, ex Scripturis, futurorum cognitio et prædictio; ergo, etc.

Apud Danielelem sic Regi Nabuchodonosor respondent Magi: *Non est homo super terram, qui sermonem tuum possit implere, . . . nec reperietur quisquam qui indicet illum in conspectu Regis, exceptis Diis, quorum non est cum hominibus conversatio.* ( *Cap. 2. v. 10. et 11.* ) Daniel ipse ita declarat: *Mysterium quod Rex interrogat, Sapientes, Magi, Aruspices et Arioli, nequeunt indicare Regi: sed est Deus in Cælo revelans mysteria.* ( *Ibid. v. 27. et 28.* ) Undè sic: teste Daniele, testibus ipsis Magis infidelibus, Deus solus poterat sermonem propheticum explicare: atqui illud falsum esset, si alius præter Deum futura prænosceret: ergo, etc.

*Non voluntate humana, inquit S. Petrus, allata est aliquando Prophetia: sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt saucii Dei homines.* ( *Ep. 2. cap. 1.* )

v. 21.) unde sic : solus Deus est Prophetiæ causa efficiens , si quotquot extitère veri nominis Prophetiæ , à Spiritu Sancto inspirante prodierint , non verò ab hominibus suæ voluntati propriæque virtuti permissis : atqui , teste Apostolo , quotquot , ergo , etc.

### PROPOSITIO III.

*Religio Prophetiis firmata non potest non esse vera et divina.*

Prob. 1<sup>o</sup>. Ex dictis , solus Deus causa est Prophetiæ efficiens : atqui , hoc posito , vera et divina sit necesse est Religio quæ Prophetiis nititur ; alioquin error in Deum ipsum , tanquam illius causam , meritò refunderetur ; ergo , etc.

Prob. 2<sup>o</sup>. Ex Scripturis : *Scrutamini scripturas* , inquit Christus , ..... *et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* ( *Joan. cap. 5. v. 39.* ) Apud Lucam sic discipulos Emmaüs euntes increpat : *O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Propheta ! .... et incipiens à Moysè et omnibus Prophetis interpretabatur illis..... quæ de ipso erant.* ( *Luc. 24. v. 25 et 27* ) Paulus Judæis Romæ degentibus cœlestem doctrinam exponebat , *testificans regnum Dei , suadensque eis de Jesu ex lege Moysi et Prophetis , à manè usque ad vespèram.* ( *Act. 28. 23.* ) Ex variis autem illis textibus constat , tum Christum , tum Apostolos , Prophetiarum autoritatem et argumentum non semel adhibuisse , ut Judæos et Gentiles ad fidem et veritatem adducerent , ipsorumque perveraciam frangerent : atqui non ita se gessissent , si prophetiam non habuissent tanquam certissimum veritatis signum.

Prætereà sanctus Petrus ad revincendam Judæorum incredulitatem , stupendum narrat prodigium , quod in Christi transfiguratione ejus testis oculatus

fuerat , contigit ; deinde Prophetarum oracula tanquam ad persuadendum efficacissima profert : *Et habemus* , inquit , *firmiorem propheticum sermonem* : ( *2. Petri 1. v. 19.* ) atqui nisi propria inesset Prophetiæ vis probandi , numquid sanctus Petrus tantam illi autoritatem tribueret ? ergo , etc.

Dices : Sic jubet Dominus. *Si surrexerit in medio tui Prophetes . . . . . et prædixerit signum atque portentum , et venerit quod locutus est , et dixerit tibi : eamus et sequamur Deos alienos quos ignoras , et serviamus eis , non audies verba Prophetæ illius.* ( *Deut. cap. 13. v. 1. 2. 3.* ) Unde sic : illud non est certum veritatis signum , quod fieri potest in gratiam erroris et idololatriæ : atqui Prophetia strictè propriè sumpta , etc. ut patet exemplo mox proposito ; ergo Prophetia non est certum , etc.

Resp. Neg. min. Vera enim Prophetia , cum solum Deum autorem habeat , non magis in erroris gratiam fieri potest , quàm miraculum propriè dictum ; alioquin error in Deum tanquam causam , meritò refunderetur : atqui miraculum , etc. ergo nec vera Prophetia.

Quod spectat ad verba Deuteron. Resp. 1<sup>o</sup>. in iis hypothesim impossibilem contineri , ad eumque sensum revocari : etiamsi quis veram eaderet Prophetiam , ut in errore et in idololatriam vos induceret ( quod impossibile est ) ipsum non audies. Hujusmodi hypothesis in vulgari sermone non infrequenter adhibetur : quin etiam ipsemet Paulus simili argumento utitur , *Licet . . . Angelus* , inquit , *de Cælo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus , anathema sit.* ( *Galat. c. 1. v. 8.* ) Quæ verba procul dubio hypothesim impossibilem expriment.

2<sup>o</sup>. Responderi potest hic non agi de Prophetiâ in confirmationem erroris datâ : id enim aperte non indicat textus objectus. Sed Deuteronomii verba intelligi possunt de Prophetâ qui veras edidit Pro-

phetias, et qui postea in idololatriam lapsus, auctoritate quam sibi apud populum Prophetiæ dono comparaverat, abuteretur ad cõrumpendam hominum fidem, eosque à veri Numinis cultu deterrendos.

Quæres 1°. quinam sint veræ divinæque Prophetiæ characteres.

Resp. Quatuor potissimum assignari. Primus est eventus cum prædictione concordia. Prophetia enim est eorum narratio quæ nondum contigerant, eo tempore quo edita est; ac proinde si eventus sequatur, verè prænuntiavit Propheta; quæ regula non minus Scripturis quam rationi consentanea est. *Propheta qui vaticinatus est pacem, inquit Jeremias, cum venerit verbum ejus, sciatur Propheta quem misit Dominus in veritate (Jerem. cap. 28. 9.) Quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, et non evenerit, hoc Dominus non est locutus. (Deuter. 18. 22.)*

Hic tamen observandum est, non omnem rejiciendam esse Prophetiam, eam ob causam, quod eventus nondum contigerit; si enim Propheta se divinitus missum jam comprobaverit, vel alia Prophetiâ eventu firmata, vel miraculo in ipsius testimonium facto, tunc fides ei adhibenda est. Multæ enim in Scripturis occurrunt Prophetiæ, quæ suum omnem exitum nondum habuere; talis est, v. g. ea in quâ agitur de ultimo Christi judicis adventu; sed istæ Prophetiæ nihil minus habendæ sunt ut veræ: illorum enim divinam originem probant aliæ Prophetiæ, quæ suum eventum manifestæ assecutæ fuerunt; quales sunt illæ quæ Hierosolymæ excidium, idolorum eversionem, gentium conversionem prænuntiant.

Secundus character est miraculum; cum enim indubitatum sit veritatis argumentum, divina sit necesse est Prophetia cui accedit miraculum propriè dictum; non tamen requiritur ad Prophetiæ

alicujus confirmationem; tum quia veritas prædictionis eventu comprobari; tum quia satis probabile est, omnes Prophetas non fuisse miraculorum dono insignitos.

Tertius character: nihil enuntiet Prophetia, quod veritatibus adversetur jam antea certis, sive ex rectâ ratione; sive ex præteritâ revelatione: Deus enim non potest sibi contradicere; secum autem pugnaret, si Prophetia, cujus est causa efficiens, aliquid involveret quod, vel rationi, vel revelationi opponeretur; siquidem utriusque autor est Deus.

Quartus character: Prophetia non sit ex omni parte obscura, id est, tum quoad singulas illius circumstantias, tum pro toto tempore quod post ipsius declarationem elabitur; Deus nimirum, cum sit summe sapiens, nihil frustra agit; atqui inutiles omnino et steriles essent Prophetiæ quæ ex omni parte densissimis involverentur tenebris. Quid enim sive in gloriam Dei, sive in hominum salutem conferrent! Dari tamen possunt Prophetiæ ante eventum obscuræ, modo per eventum claræ et perspicuæ fiant; Deus enim, utpotè in distribuendis suis donis liberrimus, Prophetiarum suarum intelligentiam concedere potest et quomodo et quando voluerit.

Quæres 2°. quid sentiendum sit de Paganorum oraculis, et utrùm sacerdotum artibus adscribi debeant.

Resp. 1°. Plurima esse quæ sacerdotum fraudibus tribui debeant, ut demonstrant *Vandale Medicus Germanus*, et *Fontenelle* qui prioris scriptum ita contraxit, ut elegantior formam ei adsciverit, in libro cui titulus, *Histoire des Oracles*. Enim verò si attendas quibus in locis, quibusve modis redderentur hæc oracula, non poteris fraudem non suspicari.

1°. Quidem oraculorum sedes in regionibus mon-

tanis sitæ erant, quæ antra et speluncas offerebant, fallaciæ maximè accommodata. Hujusmodi erat Bœotia oraculorum quondam feracissima. Ubi deerant naturales illæ decipienti opportunitates, in eundem usum parabantur secretiora quædam adyta, et interiores recessus, qui arborum frondibus, variæque arte obscuri et tenebricosi reddebantur. In cæca hæc penetralia non admittebantur consultores; in ea verò per subterraneos et clandestinos anfractus sese insinuabant sacerdotes, ut constat de Beli ministris sapientiæ Danielis deprehensis. In vitâ Constantini narrat Eusebius quot ejusmodi artes in Paganorum templis detectæ fuerint, quando illa dirui jussit iste Imperator.

2º. Iis modis edebantur oracula, quæ in fraudis suspicionem merito veniunt. Alia per schedulas obsignatas reddebantur, in quibus suas quæstiones scripserant consultores. Sacerdotes, acceptis schedulis, eas in adyta deferebant. Elapsis deinde certis diebus, easdem cum integris sigillis ad consultores referebant, quin scripta inveniebant responsa. Lucianus in Pseudo-mante varias describit artes, quibus utebantur Sacerdotes, ut libellos recluderent et iterum obsignarent. Alia dabant oracula inter furores fatidicos, quibus exagitari videbantur, et qui facile fingi et simulari potuerunt.

Quædam per sortes edebantur, quas versabant, et pro suo libitu Sacerdotes interpretabantur. Quod genus oraculorum multiplici dolo esse obnoxium facile intelligitur. Tandem interdum fundebantur oracula per statuas cavas, quarum dorsa parietibus erant applicita. Sacerdotes statuarum penetralia subeuntes, inde responsa emittebant. Quantum in iis omnibus fraus esset facilis, nemo est qui non videat.

Resp. 2º. Non omnia tamen oracula humanis artibus, sed multa dæmonibus esse tribuenda. 1º. Quia id colligi potest ex Scripturis; Saul Pythonissam adit, ut Samuellem ex inferis evocet,

qui eum de præliijam imminentis eventu certiorum faceret. Evocatus Propheta et proximam Regis mortem, et exercitûs sui cladem prænuntiat. ( *Lib. 1. Reg. cap. 28.* ) Lib. 3. Reg. cap. 22. exhibetur Dominus solio suo infidens sicque interrogans: *Quis decipiet Achab Regem Israël? ...* Tum spiritus nequam ante Dominum stans, ait: *Ego decipiam illum, . . . . et ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus; et dixit Dominus: decipies et prævalebis: egredere, et fac ita.* ( *V. 20. et seq.* ) Porro dæmon qui per vicariam falsorum Prophetarum linguam responsa dabat Israëlitis, numina gentium consulentibus, idem erat qui Ethnicis eum interrogantibus vatum ministerio respondebat. Idem inferre licet ex historiâ quæ legitur in Actibus Apostolorum, de puella scilicet spiritu Pythonis obsessâ, quæ magnum suis dominis quæstum præstabat. Apostolus Dæmoni in ea residenti sic imperat: *Præcipio tibi in nomine Jesu Christi exire ab ea; et exiit eadem horâ* ( *Act. 16.* ) Persuasum igitur habuit Apostolus puellam hanc, non nisi ope Dæmonis cui serviebat, oracula edidisse.

2º. Quam defendimus doctrinam confirmat Patrum autoritas, quorum testimonia legere est apud Patrem Baluzium in opere quod inscribitur: *Réponse à l'histoire des Oracles de Mr. de Fontenelle.* Unum allegabimus Cyprianum, qui in libro de idololorum vanitate sic habet: *Hi ergo spiritus sub statuis atque imaginibus consecratis deliuescunt. Hi afflatu suo vatum pectora inspirant. . . . . Oracula efficiunt, etc.* ( *Edit. Baluz. pag. 220.* )

3º. Idem persuadet ipsa ratio; quâ enim hominum arte fieri potuit, ut ægris in templo Æsculapii dormientibus, inter somnum indicarentur remedia, quibus à suâ infirmitate, plerumque à Dæmone immisâ liberarentur? Quânam industriâ cognoscere potuerunt Sacerdotes, quid in locis à se remotissimis fieret, ut expertus est Cræsus? Apollo.

enim Delphicus à Cræsi legatis interrogatus, quid Princeps ille Sardibus ageret, respondit eum hoc ipso temporis articulo testudinem cum agno coquere in lebete æneo. Porro factum illud ab alio resciri nequii, quàm à Dæmone qui summâ prædictus celeritate, Lybiam ævolare et Delphos revolare uno momento potuit.

Denique oracula suis in responsis victimas humanas non rarò exigebant, ut constat ex historicis: jamverò tanta immanitas à solis Dæmonibus imperari potuit; ita enim à naturâ comparati sunt homines, ut à sanguineis sacrificiis abhorreant. Præterea ex iis nihil lucri sperare poterant Sacerdotes: quinimo summum ipsis imminebat periculum, si eorum fraus detegeretur; quod ne fieret, pertimescendum erat.



### DISSERTATIO III.

#### De Religione Judaicâ.

POSTQUAM genuina veræ Revelationis signa exposuimus, miracula scilicet et Prophetias, nunc inquirendum nobis superest, quænam in terris Religio divinis illis characteribus insigniatur: ecce autem occurrunt Judæi, suamque nobis offerunt Religionem, in eo consignatam opere quod dicitur *Pentateuchus*, et Moysen habet autorem: *Pentateuchi* autem nomen ex duabus vocibus Græcis coalescit, et significat quinque libros. Hoc nomine donatur opus à Moysæ conscriptum, quia libros quinque complectitur, *Genesim* scilicet, *Exodum*, *Leviticum*, *Numeros* et *Deuteronomium*. Ibi multa narrantur Moysis cum Deo colloquia, et plurima in eorum confirmationem referuntur

referuntur miracula et oracula. Divinam igitur jure ac merito sibi vindicat originem et auctoritatem Religio Judaica, modo constet prædictum opus esse authenticum, integrum et verax. Quæ tria totidem in capitibus stabiliemus, ex probatissimis Scriptoribus decerpendo quidquid ad revincendam incredulorum contumaciam efficacius nobis videbitur.

### CAPUT PRIMUM.

#### An authenticus sit Pentateuchus

QUIN authenticus sit Pentateuchus dubitari non poterit, si duo constent: primum, Moysen non fuisse personam fictam, quod asserere ausi sunt temerarii quidam increduli: secundum, Moysen operis quod ab ipso scriptum dicitur, genuinum esse autorem; quapropter sit.

#### PROPOSITIO I.

##### *Moyses non est Persona ficta.*

Probatur. Universalem in omnibus factis historicis Pyrrhonismum admittere, summæ insanie est: atqui Moyses non potest esse persona fictitia, quin universalis in omnia facta Pyrrhonismus invehatur: nam quodcumque factum historicum protuleris, nullum reperias quod gravioribus nitatur argumentis, quàm illud de quo nunc agitur: curenim extitisse olim Alexandrum Magnum, Darium, Pompeium, Cæsarem, sine ulla dubitatione credimus? nonne quia illorum hominum memoriam constans fama et traditio ad nos usque transmisit? Atqui pariter constans et perpetua